Carm. Ordinis FF. B. M. V. Apex theologicae sapientiae
i. e. Conclusiones Sacrae Theologiae

Carmelitarum Cracoviensium

Apex theologicae sapientiae (Conclusiones sacrae theologicae).

APEX
THEOLOGICÆ
SAPIENTIÆ,

Multi iugo Sacræ eruditionis culmine

SVCCRESCENS,

Propoſitis publicæ Diſceptationi
CONCLVSIONIBVS
In Arenenſi ad Cracouiam Carmelo

Sub tempus
COMITIORVM PROVINCIALIVM
Ordinis FF. B. M. V.
de Monte Carmelo,



Prouinciæ Polonæ,
Florentiſſimæ Nobiliſſimorum Hoſpitum Coronæ,

EXPOSITVS.

Anno venientis ad Minimos, Maximi Dei Hominis;
1681. *die* 22. *Menſ: Iunij.* *Horis pomeridianis.*

CRACOVIÆ, Typis Vniuerſitatis.

0.

IN STEMMA
Reuerendiſſimi Patris.



Candida ſuccreſcunt trino Tibi Lilia flore,
Et triplex rutilo, ſydere ſtella micat:
Vt niueo caſtos prodant in pectore mores,
Accendunt nitidas, Aſtra vel ipſa faces.

Supremo Orbis HELIANI Præſidi,
REVERENDISSIMO PATRI,

P. FERDINANDO TARTAGLIA,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,
Totius Ordinis Fratrũ B. ac Glorioſiſſimæ DEI Genitricis, ſemperq; V. MARIÆ de Monte Carmelo
PRIORI GENERALI.
Commiſſario & Viſitatori Apoſtolico,
Sacræ Congregationis Indicis Conſultori
Patri ac Patrono Colendiſſimo.



Vi ſublimia inter Scientiarum faſtigia, cælis ipſis primæuum culmen infert, Theologicæ Sapientiæ apex, Tibi Magnoq́, Nomini Tuo, prona ſe veneratione inclinat REVERENDISSIME PATER. *Non habet quo altius aſcendat; quàm ſi vnâ nobiſcũ ſupplex ambiat pedes Tuos; quibus ſubſtratus* HELIANI CARMELI *vertex, calcari non renuit: dum immortalia virtutum Tuarum, & paterni in omnes Amoris veſtigia, legit & coronat. Compendium hoc altioris Sapientiæ, in Te altiſſimo Ordinis Noſtri Præſide, inuenit, vnde celſius aſſurgat: dum Illam omnis Encyclopediæ Sedem, tota Pallade inſeſſum Caput Tuum veneratur ac ſtupet: quod & Sapientia nuper Romana Sapientiſſimum audiit; & laurus coronaq́, honoris multiplex glorioſè incinxit. Vmbram verò laboris noſtri, dum luci publicæ committimus: vnde illuſtrius patrociniũ habeamus? quã ſi à ſtellis Tuis oriturũ exoremus; quæ dum inter Carmeli Sydera, primæ magnitudinis loco eminent; non minus lucent quã patent omnibus. Diem circumferre potius, quàm noctium tenebris inuolui natæ, neutiquam fuere Pleiades: ſudum*

serenumq; extra nubila quæuis Carmelum faciunt: turbines nimbosq; tristes non prouocant; sed dulci gratiarũ procellâ, & aureo veriùs imbre, in omnium vota & amores depluunt ac exundant. His monstrantibus astris viam; currimus in odorem quoq; Liliorum Tuorum: trahimurq; illo Paterni cordis Tui candore, qui illime ebur niuesq; suas, ê candida HELIANI *Imperij Trabeâ, & basilico auiti Decoris Lilieto, plus quàm dibaphas fecit; geminâ honoris virtutisq; tincturâ, duplici velut Heliæ Spiritu impleuit & ornauit. Percurrit ac recreat Carmelum quâ patet vniuersum, perfectissima, in trino Principe Florum, Lilio Tuo, suauissimæ moderationis fragrantia: quidni in Arenensi Violeto Hyblam peculiarem spiret? vbi Regalibus olim Purpuris, Poloniæ Regina, Lilium inter Spinas* MARIA, *non suauem minus quàm salutarem, sterilibus ab arenis odoris fæcunditatem parturijt, interq; tot fauētissimos cœlestium gratiarum Fauonios, milleq; Ambrosias, hîc sibi perennem Hymetthum esse voluit. Arenæ non aureo fluctu gemmarumq; procellis tumidæ, sed Mari gratiarũ felices, eo subiectæ venerationis tributo, Tuæ in se gratiæ & affectûs paterna vestigia signãt. In, nobis quidquid in illis eruditum surgit; ad Tuos decrescit pedes, vt sub Tuo fæcundius crescat, eminentius surgat patrocinio. Pijs itaq; in Tui cultũ, conatibus nostris, plena Lilijs Manus Tua, paterno fauore annuat, & votis subscribant Astra secundis: vt illa diutissimè nobis dulci imperio floreat; hæc intaminatis fulgeant honoribus; tot ab Arenis vota fundimus, quot arenæ maris sunt. Ita vouet & precatur.*

Reuerendissimæ Paternitatis Vestræ,

Deuotissimum.

Studium formale Theologicũ FF. B. V. M.
de Monte Carmelo Conuentus Cracouień.



CONCLVSIONES SACRÆ THEOLOGIÆ.

I.

THeologia est vera Scientia; magis Speculatiua quàm Practica, si secundum se, & ex parte finis sui intrinseci spectetur. Obiectum eius principale est DEVS, partim vt existens, partim vt remunerator. Conclusio eius supernaturalis est. Entis supernaturalitatẽ per illud explicando, quod sit ratio superans exigentiam illius, cui, siue vt Causæ Materiali, siue vt Causæ Efficienti, aliquid esse supernaturale dicitur.

II.

DEUM existere, & quidem vnum sine pluralitate, Fides docet, & ratio demonstrat: vnde in nùllo homine, quantũuis rudis & hebetis ingenij, si ratione vtatur, dari potest vnius DEI existentis ignorantia positiua inculpabilis; licet in tali homine, rudi, sibi relicto, ignorantia negatiua inculpabilis dari possit.

III.

IN DEO, qui est in omni genere entis infinitè perfectus, dantur perfectiones, quæ Attributa dicuntur; est igitur DEVS Immutabilis; Æternus; Immensus; Simplicissimus, sine vlla intrinseca distinctione Essentiæ ab Attributis, aut Attributorum inter se; proinde has & similes Propositiones, *Paternitas generat, Essentia non generat; Filiatio producitur, Essentia nõ producitur*; Fide credimus, sed ratione non assequimur; quæcunque enim excogitata distinctio, erit vel ad illas verificandas inutilis, vel simplicitati DEI iniuriosa.

IV.

VIsio beatifica est *clara* DEI, *prout in se est cognitio*; hæc per nullam Speciem creatam, siue Impressam, siue Expressã, haberi potest; sed per solam visionem Increatam, Beatorũ mentibus vnitam, in qua vnione vel apparentem aliquam

A ostẽ-

ostendi posse implicantiam diffidimus; cum similem de facto credendam Nobis Catholica fides proponat. Hâc visione positâ, pro meritorum inæqualitate dabimus inæqualem, si verò Creatam supponas, pro intellectuum cæteris paribus inæqualitate. Beati clarè vident DEVM vnum & Trinum, adiuti Lumine gloriæ, ab ipsa visione Increata, sub munere eleuantis intellectum supra vires suas naturales spectatâ, realiter non distincto.

V.

INtellectum esse visionis capax subiectum, satis conuenit; nō ita, an Oculus Corporeus sit tale: si tamen sumatur, quà in uirtutem mentis quodammodo conuersus fauorabilem habere poterit S. Augustini mentem. Beati visione beatificâ, formaliter ex parte vnionis præscindere possunt. Probabilius videtur, etiam alijs Sanctis, præter Christum, & Deiparam Virginem, concessam fuisse in hac vita mortali transeunter visionem beatificam.

VI.

OMninò probabile est, quòd Beati ea omnia videant; quæ in via per Fidem infusam crediderunt; etiam futura, quæ pertinent ad statum illorum, quem in sæculo habuerunt, vno die Iudicij vltimi excepto; idq; in verbo siue Essentia Diuina, vt obiectiue sua visione. Etsi omnes omninò Creaturas, etiam posibiles viderent, DEVM minimè comprehenderent.

VII.

COgnoscit DEVS Futura Contingentia Libera certò & infallibiliter Scientiâ visionis; quâ etiam, secundum quod adiunctam habet voluntatem Diuinam, attingit efficienter Creaturas. Conditionatè autem futura, cognoscit DEVS per scientiam latè Mediam, quam solùm & non strictè Mediam admittendam esse, resoluimus.

VIII.

VOluntas DEI quâ contingenter libera, non per quemcũque effectum Omnipotentiæ Diuinæ, sed per solam volitionem Creatam Essentiæ Diuinæ per modum vnionis hypostaticæ intrinsecè adhærentē, rectè constituitur. Non omnis respectu Obiecti sui totalis semper adimpletur.

IX.

DEI ad Nos non datur rigorosa Iustitia, hoc sensu, quod ipse ex debito iuris nostri aduersus ipsum rigorosi, & in solidum, teneatur facere, & semper faciat nobis, quod hic & nunc

nunc nobis retribuit. Prouidentiam DEI consistere, tùm in actu intellectus, tùm in actu voluntatis, defendimus.

X.

PRædestinatiò est præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur. Hâc liberantur homines, à damnatione, quâ iam tenentur obstricti; non quidem per gratiam actualem à voluntate humana determinabilem, sed per gratiam actualem, voluntatis humanæ efficacitèr ad finem vsq; determinatiuam, nulloque peccato mortali interrumpendam, idq; gratis omninò. Mali positiuè reprobantur ex præuiso peccato lethali finali, nulli ex mero DEI beneplacitò.

XI.

TRes sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt: hic cæcutit ratio Nostra Naturalis: supposita tamen reuelatione, nonnullæ pro hac veritate adferri possunt congruentiæ purè Naturales.

XII.

PAter à nullo est factus, nec creatus, nec genitus: constituitur igitur formaliter non Processione aliqua sed relatione generantis ad Filium, & Spirantis ad Spiritum Sanctum.

XIII.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus, generatione actiuâ, passiuæ indiuisibiliter obiectiuè identificatâ. *Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, spiratione actiuâ, passiuæ indiuisibiliter obiectiuè identificatâ.

XIV

Filius gignitur, quia procedit à principio *quo* ex se necessario, scilicet intellectu; Spiritus Sanctus verò non gignitur, quia procedit à principio *quo* ex se libero, id est voluntate.

XV.

NIhil vetat admittere in Deo tres existentias Relatiuas, & vnam Absolutam. Relatiuæ autem vt tales perfectiones sunt, non simpliciter, sed cum addito, vt Relatiuæ.

XVI.

NOn datur Subsistentia quarta absoluta, quatenùs hæc significat id, quod naturam vltimò terminat, & dat illi esse incommunicabile alteri tanquam supposito. Tres autem Subsistentias Relatiuas, positiuas reales esse affirmamus.

XVII.

VErbum procedit ex omnium omninò intuitiua DEI Patris cognitione, ac proindè Essentiæ, Attributorum, Personalitatum, & Entium possibilium; non tamen ex cognitione intuitiua futurorum, nisi quâ parte Increata est, & formale constitutiuum creatum, quâ contingens non inuoluit.

XVIII.

REcta Fides docet contra Græcos Schismaticos, Spiritum Sanctum à Patre & Filio, vnica spiratione procedere, idque vero similius liberè, non quidem libertate contingentiæ, sed libertate Spontaneitatis siue Processionis Naturalis Voluntatis Diuinæ.

XIX.

IN hypothesi, quâ Spiritus Sanctus non procederet à Filio, procedere tamen à Patre per voluntatem supponitur; adhuc Spiritum Sanctum distingui realiter à Filio firmiter tenemus.

XX.

MIssio Diuinarum Personarum in eo specialiter consistit, quod sit vnius Personæ Diuinæ ab alia Processio æterna ad temporalem apparentiam, vel operandum temporaliter aliquem effectum insolitum.

XXI.

GRatia, virtus subijciens appetitum rectæ rationi, immunitas ab ignorantia in qua hodie nascimur, à morte corporea, & cæteris corporeis miserijs, fuerunt in primo homine gratuita DEI beneficia, non Naturalis eius conditio.

XXII.

SIne gratia actuali interna nihil potest homo vt oportet ad Salutem, vt DEVM supernaturaliter amare, tentationem vel vnam grauem superare, totam legem naturalem longo tempore seruare; potest tamen DEVM amare Natu-

raliter

taliter super omnia, actum aliquem bonum internum & honestum elicere, & leues ac mediocres tentationes distributiuè superare.

XXIII.

PRæter gratiam sufficientem communem bonis & malis, rectè asignatur gratia efficax pro solis prædestinatis quâ DEUS operatur in eis velle & perficere; ipsum velle sic donans, vt etiam illam mutabilitatem, quâ possint nolle quocunque instanti determinato, non auferat.

XXIV.

GRatiá habitualis est homini iustificato intrinsecè inhærens. Sistendo in ratione realiter non distinguitur à Charitate habituali, secùs ab actuali, quæ vti etiam Contritio perfecta, est vltima dispositio ad gratiam Sanctificantem, non verò ipsa Forma Sanctificans.

XXV.

HÆc gratia Sanctificans, non ita cum peccati Mortalis essentia pugnat, quin in eadem anima de absoluta DEI potentia componi valeat; contrarium de Contritione perfecta asserimus.

XXVI.

ATtentâ lege supernaturalium ordinariâ, Iustorum opera, facta ex gratia, sunt de condigno vitæ æternæ meritoria; secùs dicendum, attentâ lege supernaturalium extraordinariâ. Meritum in Spe, nobis suspectum est.

XXVII.

AD meritum propriè dictum, requiritur libertas à necessitate, sufficit tamen, quæ à Capite morali participatur. Voluntas determinata ad duos actus omninò æquales, vnum præ alio eligendo, non meretur.

XXVIII.

AD meritum præmij supernaturalis, præter statum Sanctitatis, requiritur actus honestus supernaturalis, licet non

debeat procedere ex motiuo Charitatis; non esse tam intensus, ac habitus, à quo procedit.

XXIX.

VNus aut plures gradus præmij respondent non solis actuum Charitatis, à iusto elicitorum gradibus, sed cuiuslibet etiam inferioris virtutis, modo tales actus in statu viæ eliciantur, qui tàm diu durat, quam diu agit homo vitam mortalem, sub lege mortalitatis.

XXX.

VLtima ad Iustificationem extra Sacramentum dispositio meretur primam gloriam; item primo suæ existentiæ instanti primam gratiam habitualem. Perseuerantiâ in actu secundo vt præmium, non vt principium, cadere potest, sub condignum meritum procedens ex gratia Speciali Christi.

Ad M. D. M. N. A. & S. P. E. aliorumq; SS. O. N. Gloriam.

Publico exponentur Certamini Cracouiæ ad Miraculosas DEI MATRIS ARENAS in Studio Generali Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.

Ad obiecta Respondebit R. P. ZENOBIVS KRASZOWSKI, S. Theol: Cursor eiusdem Ordinis.

Sub Præsidentia R. ac V. P. MARTINI BEHM. S. Theol: in Alma Vniuersitate Cracouiensi Doctoris dicti Studij Regentis ac Præfecti.

Anno Domini 1681. Mense Iunio Die 22. Horis Pomeridianis.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0021299